
C. Kalen.
De profectione in
Terram Sanctam Bugislai X.

Witeb., 1555.


28,-155

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

28,- 155 4°
(LN bis 217)
DA BOX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

855

HISTORIA
DE PROFECTIONE IN TERRAM SANCTAM ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI BVgislai X. Ducis Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, & uetuſtæ gentis Henetæ, Principis Rugianorum, & Comitis Caycorum &c. ſcripta

â

M. CHRISTIANO KALEN FEMARIENSI.

IN ὁδοιπορίαν DVCIS BVGISLAI.

Εἰ γλυκερὸν πέλεται τῆς τέρματα πατρίδος εἰδεῖν,
καὶ ξενικῆς χώρας κλίματα πάντα σκοπεῖν.
Οὕτως οὐ δύναται δ' ἄλλο γλυκερώτερον εἶναι,
ἢ τοῦ ἰουδαϊκοῦ κλίματ' ἰδέσθαι ἀγρού.
ὧδε γὰρ ἡ μήτηρ πρώτους ἐκκλησία θώκους
εἶχε δὲ, καὶ οὐρανίου ῥῆμα δίδαξε θεοῦ.
ὧδε τε μουνογενὴς εὑρίσκων πατρίδα Χριστὸς,
θαύματα καρτίστω πρῶτα ποίησε λόγω.


VVITEBERGAE.

1 5 5 5.

Ornatiſsimo Viro, prudentia ac Virtute praeſtanti . Do Antonio Leronio Conſuli ciuitatis Sundenſis, ac patrono ſuo colendo

dono [illegible]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

ILLVSTRISSI-
MO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI FRIDERICO I. Duci Stetini, Pomeraniæ, Caſſubo-rum, & uetuſtæ gentis Henetæ, Principi Rugianorum, & Comiti Caycorum &c. Domino ſuo clementiſsimo
S. P.

ESſe quid expediã celebris Pomerania cauſæ?
Quid tibi monſtratum ſuſpicer eſſe ſpei?
Prodiga quod tanto diffundis gaudia plauſu,
Pectore quid uoti concipiente foues?
Quo fauor, & uulgi gratantis murmura tendũt?
Quid ſibi læticiæ uult chorus iſte nouæ?
Nunquid forte tui generoſa palatia patris
Indole dux præſtans IAN FRIDERICE petit?
Auguror, & certe uix me præſagia fallent,
Tramite nam recto te chorus iſte petit.
At quæ cauſa uiæ? cur proruit agmen ad aulam?
Vt te ſub merito ponat honore Ducem.
Vt tua puberibus mirari aſſueſcat ab annis
Indolis auſpicio, ſemina iacta, bono.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Vt qui ſponte decus laudemq; imitaris auorum,
  Virtutis ſtimulos ſubdat, amore tuæ.
Et merito laus iſta tuo debetur honori,
  Inclyte Dux annos præteriture tuos.
Virtutum quia tanta refers ſimulachra ſub ipſo
  Flore iuuentutis, quanta nec ipſa capit.
Quanta uel ætatem poſſent decuiſſe uirilem,
  Si ſpectem mores ingeniumue capax.
Vſq; adeo ingenuas animum demittis in artes,
  Ducis & eſſe nihil relligione prius.
Magna tui à teneris fuit admiratio cunis,
  Maior, ut herous cœperis eſſe puer.
Maxima nunc poſtquam te firmior induet ætas,
  Inq; uices patrias erudiendus eris.
Hanc, ut ab ingenita properas uirtutis in arcem
  Natura, facile ſuſtinuiſſe potes,
Præuia ſi patriæ releges ueſtigia laudis,
  Vt facis, & cœptum progredieris iter.
Et dubitamus adhuc? cur ſe Pomerania tanto
  Attollat plauſu, læticiæq; uacet.
Te doteſq; tuas, primiq; exordia Veris
  Spectat, & hinc meſſis ſpem grauioris alit.
Concipit hinc, olim cum regni pondera poſcent,
  Imperij quanta laude ſubibis onus.
Scit cœleſte bonum, ſupremaq; munera uitæ,
  Eſſe Magiſtratus ſub ditione pij.

Econtra

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Econtra ſcit grande malum, tolerare Tyranni
Imperium, ac ſæuo ſubdere colla iugo.
Hinc ſe fœlicem te tali Principe iactat,
Atq; ſuo quodam gaudia iure fouet.
Cumq; minus deceat, uulgo ductante triumphos,
Et ſtudia in dominum teſtificante ſuum,
Interea mutas præſtare ſilentia Muſas,
Quarum hic præcipuus debuit eſſe labor:
Ipſe meos uolui communibus addere plauſus,
Gaudia compreſſo nec reticere ſtylo.
Ergo age progredere, in titulos adoleſce paternos
Spem Dux clare patri fac tueare datam.
Excitet et calcar FRIDERICVS auunculus addat,
Ex quo maieſtas nominis iſta tui.
Fac tanti Herois decus admirabile præſtes,
Hæredem decoris, nominis inſtar, agas.
Perge ſequi generis laudes, ac robur auiti,
Huius ab exemplo fortior eſſe potes.
Nam uelut inſtructus pater eſt uirtute et togata,
Sic fuit hic forti promptus ad arma manu.
Cuius in hoſtiles Turcas documenta reliquit,
Cum Solymitanum proſequeretur iter.
Roboris hoc ſpecimen rarũ eſt, ac laude uehendũ,
Donec honore aliquo gens Pomerana uiget.
Si iuuat hiſtorijs operam impendiſſe uetuſtis,
Atq; peregrinos tollere laude Duces,

 Cur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Cur minus hiſtorias iuuat explicuiſſe recentes?
Laudeq; noſtrates accumulaſſe Duces?
Qui ueluti patriam propiori fœdere tangunt,
Sic decet hos primum laudis obire gradum.
Tum magis illa mouent, quæ ſunt noſtratia, quàm
Temporibus noſtris ſunt aliena procul, (quæ
Semper et in ueterum celebranda laude morari
Dedecet, ætati nec meminiſſe ſuæ.
Nam uelut abſurdum eſt ſcrutari ſydera cœli,
Corporis abiecta cognitione ſui.
Metiri fluidæ ſinuoſa uolumina Lunæ,
Neglectis proprij motibus ingenij?
Herbarum uires rimari & uiſcera terræ,
Molis & humanæ uiſcera noſſe minus:
Sic quoq; noſtrorum neglecta laude parentum
Haud decet externos præpoſuiſſe Duces.
Tempora præſertim cum noſtra ætate miniſtrent,
Quorum laus pleno digna ſit ore cani.
Sint modo qui laudem ualeant æquare canendo,
Et dignum meritis uerſu adhibere decus.
Materiæ cultis poterat ſatis eſſe Poetis,
His merito labor hic arripiendus erat,
Qui rem uatidicis poſſent ornare figuris,
Rebus & eloquij uiribus eſſe pares.
Sed quoniã hactenus hæc manſere intacta Poetis,
Prorſus & amoto coſiluerne ſtylo,

Obruta

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Obruta perpetuo tacita ne nocte iacerent,
In lucem at poſſent exeruiſſe caput:
Ipſe ego conatus filo aſtrinxiſſe pedeſtri,
Quantum noſtra tulit uena coacta, dedi.
Reſtat ut adſertum tibi Dux generoſe laborem,
Qui datur officio gratificante, uelis.
Quidquid id officij eſt, merito tibi iure dicaui,
Hiſtorijs totum quem tuus addit amor.
Si uacat annales animo luſtrare Quiritum,
Quæ memorant ueterum fortia facta ducum:
Quantum erit & patriæ monumenta domeſtica
Dotibus ingenij ſuppoſuiſſe tuis. (laudis
Quæ propiora tibi uirtutum exempla miniſtrant,
Quippe tui decus, & nobile robur aui.
Quandocunq; igitur uacua te mente reſoluis,
Hæc oculo ſaltem tranſiliente legas.
Dumq; legis, placidum nobis obuerte fauorem,
Inq; patrocinij ſuſcipe iura tui.
Quod modo ſi fuero, ceu ſpes affulget, adeptus,
Debita iam merces parta laboris erit.


Tuæ Celſitudini

addictiſſimus

Chriſtianus Kale

Femarienſis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

HISTORIA
DE PROFECTIONE IN TERRAM SANCTAM ILLVSTRISſimi Principis ac Domini, Domini Bugislai X. Ducis Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, & uetuſtæ gentis Henetæ, Principis Rugianorum, & Comitis Caycorum &c. ſcripta

â

M. CHRISTIANO KALENFEMARIENSI.

SAcra Paleſtinæ quod ducit ad oppida terræ,
Condere per numeros emeditabor iter.
Grande, ſed exhauſtum Pomeranæ â Principe gentis,
Experto uarias per freta ſæua uices.
Multa quoq; â uaſtis perpeſſo incommoda Turcis,
Attamen inuicti non ſine laude Ducis.
Viſere dum uoluit ſancti monumenta ſepulchri,
Hic ubi Peneades Iordanis arua rigat.
Muſa fauens cœptis mecum percurre laborem,
Atq; uacillantis dirige plectra ſtyli.

Iam ter quinq; aberant â nato ſecula Chriſto,
Abſtractis annis quatuor inde tamen.
Poſt ubi Bugslai Ducis in ditione, per omnes
Finitimos eſſet pax ſtabilita locos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Nec iam Marchiaco metuendus ab hoſte tumultus,
A quo ſeditio ſæpe ſuborta fuit.
Denic cum rigidis Pomerania libera bellis
Sanxiſſet ſtabili fœdere pacis opus.
Et ſe Dux triplici gauderet prole parentem,
Vnica quas inter ſors muliebris erat.
Nam Caſimire tuo cum fratre Georgio eratis
Iam tunc imperij ſpes columenq patris.
Mox animum, Solymas proficiſci, intendit, ad arces,
Metiriq oculis Chriſte cubile tuum.
Nec tumulum Chriſti ſatis eſt uidiſſe, ſed omnes
Quotquot ea tractus ſub regione iacent.
In quibus obtinuit primas Eccleſia ſedes,
Ac manifeſtatus creditur eſſe Deus.
Hæc, quæ ſuaſit iter, fuit unica cauſa, nec illum
Vana ſuperſtitio mouit inire uiam.
Cernere conſtituit ueſtigia cuncta locorum,
Quæ ſunt miraclis Chriſte referta tuis.
Quæq pios animo eſt fas concepiſſe, precantes
Si quando exoluunt debita uota Deo.
Nam magis attentus, qui animo ſe ſiſtit ad undam
Iordanis, implorat uoce precante Deum.
Hic ubi perſonis ſe ſub tribus, unus & idem
Conſpicuè exhibuit, res ea mira, Deus.
Implicitus quàm qui ſacrorum errore locorum,
Neſcit Iudaici priſca theatra ſoli.
His ſuper Heroum occurſant exempla priorum,
Laus quibus hinc olim nominis ampla data eſt.
Ante alios Ducis Henrici uirtute Leonis
Tangitur, huic eadem nam uia trita fuit.
Tum Godfride tuam celebrem reminiſcitur Argo,
(Lux Godfride tuæ Bilionæ domus)

Qua

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Qua cum Principibus lectis tranſuectus in oras
Iudaicas, rediens ſpinea ſerta refers.
Serta coronati teſtantia regis honorem,
Hic ubi ſunt capiti ſubdita buſta tuo.
Egregium ſane ritum, Regiq; decorum,
Qui, quæ ſit regum propria cura, monet.
Inclinare caput tumuli ſub margine Chriſti,
Eſt caput & uitam proſtituiſſe Deo.
Sed capite implicitam ſpinis geſtare coronam,
Eſt pro confeſſa relligione pati.
Hæc & plura Ducum ſub mente exempla retractans
Conſilio ſtimulos ſubijcit ipſe ſuo.
Non probat hoc coniunx, quæ ſic blandita marito eſt,
Propoſitum obteſtans ut reuocetur iter.
Quæ noua te inceſsit, Princeps generoſe uoluptas?
Quæue peregrinæ tanta cupido uiæ?
Coniuge me ne potes ſecurus abire relicta?
Quo tuus â nobis tam cito cedit amor?
Vſq; adeo qui te potuere offendere dulces
Filioli? ut uiduos deſtituiſſe uelis.
Quod ſcelus erga te admiſit Pomerania tantum?
Hoſtibus ut poſsis expoſuiſſe feris.
Quod ſi propoſitum premis, atq; es certus eundi,
Et mea nec quidquam uota ualoris habent:
Differ in alterius uenturos temporis annos,
Differ, ineſt paruis utile grande moris.
Donec adulta tuam ſobolem firmauerit ætas,
Poſsit ut imperij pondera ferre tui.
Atq; manere tua, te, ſub ſtatione, profecto,
Et tunc ſi ſit opus, Principis eſſe loco.
Nam licet hoc ipſo pax optima tempore floret,
Nec furor in noſtris finibus arma ciet:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Poſt abitum tamen arma tuum crudelia poſſunt
Surgere, quæ regno ſint nocitura tuo.
Nec tibi ſuccurrit, quæ nos uicinia cingat?
Proſtet & in quanto gens Pomerana metu?
Rectius ergo tuas res aſpice, & exue mentem,
Oro, meis precibus ſi locus ullus adeſt.
Talibus illa quidem Bugslai pectora mouit,
Huic quia res curæ publica ſemper erat.
Conſilium tamen ille nihil cunctantius urget,
Certum eſt propoſitam continuare uiam.
Non etenim tantum, Solymarum aduertere terris,
Sed ſimul Auſoniam uiſere raptat amor.
Cæſareumq; animo ſedet emeruiſſe fauorem,
Ac Ducibus ſe alijs inſinuare iuuat.
Cum quibus ante fere non interceſſerat ullus
Vſus amicitiæ, noticiæq; gradus.
Præcipue externas quia non perſpexerat urbes
Ante, ſed in patrijs hæſerat uſq; focis.
Quippe decus ſummum eſt longinquas uiſere terras,
Sed ſimul infracta mente manere bonum.
Namq; pererratis totius finibus orbis,
Si ſcelus addiſcas, crimine dignus eris.
Omne peregrinos decet obſeruaſſe, quod uſum,
Doctrinæ in uita commodioris habet.
Sic rerum edoctrix ſubit experientia uitam,
Famaq; ab externo clarior orbe uenit.
Si nunquam Alcides peregrinas iſſet in oras,
Nominis haud ullo clarus honore foret.
Extera ſi prudens non regna adijſſet Vlyſſes,
Iam fama illius preſſa iaceret humi.
Supprimit, imminuit, prohibet ſplendeſcere famam,
Semper apud patrios delituiſſe lares.

Sic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Sic Laertiadæ fœlix imitator Vlyſſis,
Principis officium duxit id eſſe prius,
Contemplari hominum mores, habitumq; locorum,
Ocia ſectantem quàm reſidere domi.
O Bugslae Ithaco non ſolum corpore maior,
Sed quoq; prudenti non minor ingenio.
Si Colophoniacus tantum tibi detur Homerus,
Qui tua Dulichio conferat acta Duci.
Totus in hoc igitur fuit intentiſſimus, ut quo
Commodius poſſit, perficeretur iter.
Hoc quoq; conſilio dare cenſus imperat omnes,
Quotquot erant fidei ſubdita membra ſuæ.
Scilicet ut ſumptus ad iter tam grande leuarent,
Qua re tum faciles exhibuere manus.
Cumq; uiæ foret ex omni iam parte paratus,
Nec quid porro eſſet quod retineret eum,
Commendat ſocero Caſimiro ſceptra Polono
Tradit & amplexa, talia iuſſa, manu:
Me uehemens proficiſcendi quia cauſa coëgit,
Quam quoq; perſpectam ſuſpicor eſſe tibi,
Chare ſocer, cognata precor per pectota ſupplex,
Coniugis ut tibi ſit tradita cura meæ.
Do tibi filiolos, patrio amplectaris amore,
Deniq; ſub certam do tibi cuncta fidem.
Tu uideas ne quis gliſcat,me abſente,tumultus,
Omnia ſed maneant integriore ſtatu.
Mandat idem reliquis Ducibus,ſibi ſanguine iunctis,
In quibus & fidei ſpes melioris erat.
Præfectosq; creat,quorum alter Epiſcopus,alter
Conſilijs dandis à Duce primus erat.
His ita Regali ſapienter more peractis,
Ter centum egregios armat & ornat equos.

Qualis in Italiam comitante ſatellite multo,
  Se tulit Aeneas, dum noua regna petit.
Qualis & Aeſonides tendens ad Phaſidos undas
  Stipatus Minyis, uellera poſcit ouis.
Talis ad Euphratis properat Bugslaus arenas,
  Denſus, & ex omni parte ſatelles adeſt.
Principio triginta equites Bugslaus habebat,
  Stipantes proprium parte ab utraq; latus.
Quem ſimul inſequitur Marſchalcus in ordine iuxta,
  Marſchalcus celeres flectere doctus equos.
Qui ſex in partes numerum diuiſit equorum,
  Quaslibet & certum iuſſit habere ducem.
Ipſe Magiſter erat cunctorum & ductor equorum,
  Hæc quia Marſchalcum ſarcina iure premit.
Vt neq; poſteritas harum eſſet neſcia rerum,
  Quæ nam nobilium ſit comitata manus,
Nomina ſubijcerem, uerum lex carminis ipſa,
  Haud capit, in uerſus conueniuntq; parum.
Quæ quoties recitari audis Pomerana iuuentus,
  Quæ genus à ueterum nobilitate trahis,
Maiorum memor es repetens exempla tuorum,
  Calcar & officio fortiter adde tuo.
Cornicines taceo, ſcribas, reliquoſq; maniplos,
  Tonſores, promos, ſplendiduloſq; coquos.
In ſummam quos ſi cunctos collegeris unam,
  Tercentum pariter conficientur equi.
Hi Bugslaum omnes peregre comitantur euntem,
  Paſſuri unanimes cum Duce quodq; malum.

Iamq; adeo exierant portis bipatentibus urbis,
  Stettini, ſignum Sole tenente capri.
Nec mora Marchiaci peragratis finibus arui,
  Emenſiſq; tuis inclyte Saxo locis,

A quibus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

A quibus exprompto paſſim cumulantur honore,
Atq; animi uarias experiuntur opes.
Deueniunt curſu celeres, urbiq; propinquant,
Ac ſubeunt muros Noricaberga tuos.
Hic quia ſuadet amor, deſiderioq; tenetur,
Spectandi pulchrum quidquid in urbe foret,
Iungendiq; ſibi patres, ſanctumq; ſenatum,
Conflandiq; nouæ fœdus amicitiæ:
Permanet adiunctis socijs, & in urbe moratur,
Donec Luna nouo ſurgeret orbe recens.
Interibi Princeps animum genialiter explet,
Diffundit uultus, læticiæq; uacat.
Tempus erat quo feſta dei celebrantur Iacchi,
Bacchicus & late ſæuit ubiq; furor.
Quo quaſi per ludum celebrantur equiria circo,
Et ſtudium armata feruet equeſtre manu.
Hoc quoq; certamen magna dux laude ſubibat,
Oſtentans animi robora celſa ſui.
Inſtruxit fluido conuiuia ſplendida luxu,
Et proceres urbis iuſſit adeſſe frequens,
Quid? quod ab his iterum ſæpe eſt conuiua uocatus,
Nec fuit illi unquam rurſus adeſſe graue.
Atq; ita noticiam cum patribus inchoat arctam,
Quæ ſtetit in ſeros illabefacta dies.
Et quoniam ante Duci hæc potior ſententia uiſa eſt,
Quam Solymitanum perſequeretur iter,
Romani imperij Reginam cernere coram,
Et tecum breuibus Maxmiliane loqui:
Cæſarem enim magnus ſpectandi inceſſerat ardor,
Et ſociam, ſiquidem uiderat ante minus.
Arte laboratis comites mox ueſtibus ornat,
Veſtis enim, tanquam, lumina paſcit, ebur,

Induit

Induit his tunicas manicis fulgentibus auro,
In quibus & limbus murice pictus erat.
Addidit ornatos pennis criſtiſq; galeros,
Quidquid & ad cultum pertinuiſſe queat.
His ita magnfice ſpecioſis ueſtibus auctis,
Vermiculata tibi Vangio tecta petunt.
Spectatum accedunt, ſimul & ſpectentur ut ipſi,
Magnifico ornatu, purpureiſq; togis.
Quos Regina fauore animi complectitur omni,
Hoſpitibus præbens hoſpita tecta nouis.
Cumq; dies aliquot Dux hac foret urbe moratus,
Affectus uarijs ampliter officijs,
Digrediens iſthinc dicto acceptoq; ualete,
Mox petit acceſſus Spira diſerta tuos.
Atq; ibi per celebris ſolennia tempora Paſcæ
Ocia, dum pia ſunt ſacra peracta, terit.
Poſt ea ſpumiferi ſuccedit mœnibus Oeni,
Cæſar enim hic præſens Maxmilianus erat.
Qui poſtq; audierat, nam rumor obambulat urbem
Bugslaum à porta non procul eſſe Ducem,
Protinus obuentare parat ſtipante caterua
Noblium, adiunctis Principibuſq; ſibi.
Ipſe inter primos Cæſar grauitate uerendus,
Vertitur, à dextra Dux Fridericus adeſt.
Frater Ioannes, & Brunſuicenſis Ericus,
Huic latus à læua pendula turba tegunt.
Quiq; Duces aderant reliqui poſt terga ſequuntur.
Copia namq; aderat magna frequenſq; Ducum.
Atq; ita Bugslaum excipiunt, urbiq; reportant,
Extantem toto uertice pene ſupra.
Miratur populus robur, corpuſq; procerum
Suſpicit, atq; oculos uix inhibere poteſt,

Vnus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Vnus at erumpens: Fœlix Pomerania fœlix
Inquit, cum iuuenum robora tanta feras.
Nondum adeo hoſtiles metuis Pomerania turmas,
Donec adhuc tantum roboris agmen habes.
Mirantur ueſtes perfuſas largius auro,
Mirantur phaleras, egregios & equos.
Poſtquam Bugslao cum Cæſare copia fandi
Eſt data, mox aperit quæ ſibi cauſa uiæ.
Concediq; ſuis ueniam rationibus orat,
Tam longum faciat quôd peregrinus iter.
Obijciens dubijs patrium penetrale periclis,
Fortunæ & mandans tradita ſceptra uagæ.
His exoratis retro Schuleborgius heros
Mittitur in patrios, ut tueatur, agros.
Adiunctis centum ſocijs, centumq; caballis,
Quorum ad ſuſceptum non erat uſus iter.
In quorum ſubiere locum, numerumq; replerunt
Nomina lecta uirûm, at uerſibus apta minus.
Auſtriaci partim proceres, partimq; Bohemi,
In cunctis frangi neſcia corda malis.
Qui ſe iungentes comites, ſociosq; uouentes
Ad Veneti tendunt ditia rura ſoli.
Inclitus ad portam Cæſar producit euntem
Bugslaum, uotis proſequiturq; pijs.
Iam ſimul ac urbem properi tenuere petitam,
Et ſeſe Venetis applicuere locis:
Protinus aptari claſſem, & retinacula ſolui
Curat, & in uentos carbaſa plena dari.
Quales Colchiacis Argo ſub Iaſone ripis
Appulit, Heroa nobilitate ſatos:
Aeacidas, Tiphin, Pollucem ac Caſtora fratres,
Theſea, Hylam puerum, robur & Herculeum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Orphea, & alatos Calain, Zetenq́ gemellos,
Quotq́ ſub Aemonia puppe fuere duces:
Talis flos iuuenum Bugslai exceptus in Argo,
Sancta paleſtinæ tendit in arua plagæ.

Vix è conſpectu Venetorum abiere ſecantes
Nauibus æquorei uaſta profunda maris.
Humida cærulei conſurgunt nubila cœli,
Et rabies uenti murmura cæca mouet,
Diſijcit huc illuc fluctus latera alta carinæ,
Atq́ intra, ſaltus dat, caua texta, ſuos.
Fluctibus opprimitur ratis, & ſubmerſa fuiſſet,
Tota procelloſo naufraga cymba freto.
Rurſus at egeritur, ſtudioq́ refunditur unda,
Nec ſinit hac nauim nautica turba premi.
Ipſe gubernator neſcit quo flectere curſum,
Debeat, & qua nam temperet arte malum.
Stant omnes operi intenti, pars ſcandere malum
Nititur, & trepidans pendula uela legit.
Pars munire parat laceratæ fragmina nauis,
Quiſq́ ſub officij ſtat ſtatione ſui.
Omnia præſentem oſtendunt præſentia mortem,
Nec cuiquam uitæ ſpes erat ulla ſuæ:
Iamq́ exacta fuit triſtis pars integra noctis,
Et pars terrificæ dimidiata diē.
Tetra repurgato fugerent cum nubila cœlo,
Et caderent tumidi murmura ſtrata freti,
Tunc igitur feſſi reuocant nutrimine uires,
Namq́ diu expertes ante fuere cibi.
Hinc uentis uſus melioribus uſq́ Modonam
Ante expectatum nauita uertit iter.
Et licet undiſono uix emerſere profundo,
Hic tamen intentat ſæuior unda minas.

Quantus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Quantus erat fædas labor auertiſſe uolucres,
His qui Phaſiacum diſſecuere fretum.
Tantæ molis erat Bugslao auertere Turcas,
Ante Paleſtinæ quam adueheretur agris.

Pandite nunc Muſæ, nunc Calliopeia ſerenes
Cætera continui carminis orſa mei.
Expediam ſiquidem quanto Dux robore Turcis
Reſtitit, & quanta laude trophea tulit.
Vt medium tenuit puppis ſubmota profundum,
Obuia nec tellus ulla uidenda datur.
Ecce nouem procul apparent, quas Turcica plenas,
Prædatorum hominum miſerat ora, rates.
Quæ quia conſuerunt prædam exercere marinam,
Cæſaris exoſi fædera pacta ſui.
Bugslai ſubito nauem naualibus armis,
Vndiq; cingentes obſidione premunt:
Ex quibus unus ait, nulla hinc exire poteſtas
Continget uobis deditione prior.
Dedite uos igitur præſentibus hoſtibus ultrô,
Aut dabitis uictas, Marte iubente, manus.
Dixit, & emiſſum iaculatur in aëra telum,
Primaq; dat ſocijs bellica ſigna ſuis.
Clamore adplaudunt comites, iaculiſq; ſequuntur,
Telaq; conijciunt felle peruncta nigro.
Illi principio contra nulla arma capeſſunt,
Sed ſibi firmari fædera facta petunt.
Turcarum ſiquidem, Veneti, cum Cæſare, certum
Firmarant initæ fædus amicitiæ.
Sed poſtquam precibus nihil effecere rogantes,
Bugslaus celeri corripit arma manu,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Cuius ab exemplo admonita eſt Pomeranica pubes,
Ac ruit hoſtiles fortiter ulta Getas.
Et quia quorundam torpent in prælia uires,
Et tutum capiunt infima tranſtra locum.
Nam perculſi animi metuunt, retroq; reſidunt,
Et tribuunt turpi terga doloſa fugæ.
Hos ipſe inſequitur Princeps, prenſiſq; capillis
Extrahit, & monitis trudit in arma uiros.
Degeneres animi, quò uiuida dextera bello
Ceſsit? & unde hæc mens deſidioſa uenit?
Nunc opus eſt antiqua patrum uirtute referre
Facta, nec uxoris non meminiſſe ſuæ.
Nunc ſpecimen patriæ Pomeranæ oſtendite ſtirpis,
Et Mahometigenas ui ſuperate Getas.
Plura quidem moniturus erat pro munere Princeps,
Temporis at ratio plura monere uetat.
Talibus accenſi contrà generoſius inſtant,
Fortiter ac hoſtes ſternere cæde parant.
Bugslaus pugnæ tenet acer in ordine primas,
Nec patitur partes ſuccubuiſſe ſuas.
Et quia deficiunt galeæ, clypeiq;, matellas
Imponunt capiti, tempore dante, ſuo.
Nonnulli æratas ollas, patuloſq; lebetes,
Vſibus haud illis organa facta, gerunt.
Quidam etiam aſſeribus nullo diſcrimine raptis,
Turcarum â iaculis pectora fida tegunt.
Bugslaus tamen arma, ratis, clypeumq;, Magiſtri
Sortitus, ſub quo ſe tueatur, habet.
Lignea conflictu ſonitum dant ſcuta frequenti,
Emiſsis iaculis ſternitur omne ſolum.
Copia telorum inuoluit caligine cœlum,
Eripit aſpectum, nec ſinit eſſe diem.

Non

Non aliter quàm cum permixta grandine nymbus
Plurimus aſsiduo uerbere pulſat humum,
Sic parte obruitur telis Bugslaus ab omni,
Vix crebros ictus illius umbo capit.
Quid? quod tempore Bugslaus deprenditur uno
Ferre haſtas clypeo quatuor atq; decem.
Aemulus exempli Scæuæ, cui ſpicula centum
Bisq; decem clypeo fixa fuere ſimul.
Ne uero quid inexpertum manus impia linquat
Sed tentet uarijs Turca nocere modis,
Pars aditum captat, ſcalisq; aſcendere nauim
Deſtinat, ingenti non ſine cæde tamen.
Nam male ſuccedit, quia ſaxea tela uolentes
Scandere, ſubmerſos præcipitant in aquas;
Arduus interea prægrandi corpore Turca
Bugslaum contra prodit in arma Ducem.
Qui quia grandis erat, grandem ſibi deligit hoſtem
Quem petat, atq; in quem ſolus et unus eat.
Ante alios igitur Bugslaum hoſtilibus urget,
Huius in interitum mente manuq; uacat.
Et quamuis ſemel atq; iterum detruſus in undas
Voluitur, & madido combibit ore fretum:
Attamen æquoreis facile eluctatur ab undis,
Præ reliquis ſiquidem nare peritus erat.
Nec minus à reliquis Turcis circundatur armis,
Nam iacula hyberna grandine plura uolant.
Vndiq; circumeunt Bugslaum, atq; omnibus unum
Eſt animus rigida perdere morte uirum.
Quid faciat Princeps? niſi contrà audentius inſtet,
Vt facit, & uitæ ſit memor ipſe ſuæ.
Dum magis ac magis ardeſcit Dux clarus in iras,
Præcipuamq; ſuo poſcit ab enſe fidem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

En ictu in medio malefidus frangitur enſis,
    Promiſſam domino nec bene præſtat opem.
Vt gladium fractum, & dextram conſpexit inermem,
    Obuertit ſcutum, ſe clypeoq; tegit.
Donec Chriſtophorus præſtans uirtute Polenzon,
    Et Petrus Podeuuils auxiliator adeſt.
Addo Valentinum Nornberch, qui qualis Achates
    Adfuit Aeneæ, Dux tibi talis erat.
Nam ſimul ac iſti præſens uidere periclum,
    Gnauiter ante ſuum proſiluere Ducem.
Atq; exceperunt ualidas pro Principe plagas,
    O rarum egregij militis officium.
Nobilis hic tanta pugnat uirtute Polenzon,
    Non paucos ſubitæ tradat ut enſe neci.
Obrutus innumeris tandem preſſuſq; ſagittis,
    Exhalans animam fundit ab ore piam.
Pauca etiam Podeuuils haud uulnera corporis hauſit,
    Quæ tamen infracto pectore cuncta tulit.
Lumine dum læuo præacuta cuſpide læſum
    E ſtatione illum cogit abire dolor.
Conſimilis fidum Nornberch fortuna fatigat,
    Cui totum corpus nil niſi uulnus erat.
Impiger his uiſis Bugslaus flagitat enſem,
    Nunc hoc, nunc illo quærit & arma loco.
Sed non arma illi dantur, neq; repperit enſem,
    Arma etenim ſeruat propria quiſq; ſibi.
Forte ueru affixum gallinis igne domandis,
    Cernit, &, ut poſitum, raptat ab igne, fuit.
Quo telo armatus, nam telum hoc ira miniſtrat,
    Ibat in auxilium, ſubſidiumq; ſuis.
Cum uero extinctum uidiſſet morte Polenzon,
    Et Nornberch morti proxima fata pati,

Accenſus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Accenſus furijs dignas Duce concipit iras,
Conceptamq; animo ſpem morientis habet.
Ingerit in medios ſeſe imperterritus hoſtes,
Atq; ueru circum uibrat agitq; caput.
Proſternit, mactat, ratibus deturbat in æquor,
Haudq; impune ſuos occubuiſſe ſinit.
Talis Alexander ſimili uirtute, Sycambros
Oppugnans, contra millia multa ſtetit.
Qui poſtquam in muris, quos primus ceperat, urbem
Senſiſſet uacuam militis eſſe manu.
Deſilijt, mediamq; tulit ſe ſolus in urbem,
Cui qui ferret opem, nemo ſatelles erat.
Ergo ut eum ſolum conſpexerat hoſtica turba,
Irruit, & telis cingit utrumq; latus.
Nec minus unus Alexander tot millia contra
Reſtitit, & tandem uictor ab hoſte redit.
Deniq; Dux Turcis ſic ira agitante reſiſtit,
Ex animo ut cupiant nunquam adijſſe ratem.
Sed uetat inceptam pudor interrumpere pugnam,
Ergo nouus dolus his diſpiciendus erat.
Vulcani implorant operam, atq; incendia poſcunt,
Lampada iactantes, fumiferoſq; globos.
Corripiunt flammam, mittuntq; in carbaſa puppis,
Exuruntq; ipſam, depopulantq; ratem.
Quos poſtquam accelerant depellere nauibus ignes,
Incurrit uitæ quiſq; pericla ſuæ:
Suffundunt lymphas, ſed edax has imbibit omnes
Vulcanus, madidis nec ſatiatur aquis.
Conſternati igitur, ſpe fruſtratiq; ſalutis,
Ante oculos quidquam nil niſi triſte uident.
Nil tamen aduerſus depugnant ſegnius hoſtem,
Quin magis audaces mortis imago facit.

Hac

Hac tanta facie rerum, & diſcrimine tanto,
Quo bona ſpes uitæ nulla ſuperſtes erat,
Ecce iubet Primas Turcarum inflare receſſus,
Auocat & ſocios è ſtatione ſuos.
Tunc, ubi nemo minus fieri quàm talia ſperat,
Quippe ubi erant Turci proſperiore loco,
Quæ res Bugslaum exhilarat, ſociosq; uiciſsim
Erigit, ut ſortis ſpem melioris alant.
Verum mirari nequeunt ſatis, impulit hoſtem
Quæ nam cauſa cito tam reuocare pedem.
Præſertim cum iam fuerit uictoria Turcis
Obuia, & in dominas tradita pene manus?
Et quanquam ambiguis uolitat ſententia pennis,
Qua cauſa motus Turca ſit ut fugeret,
Attamen hoc conſtat Diuino hortamine factum,
Atq; hoc ut fieret ſic uoluiſſe DEVM.

Ergo ubi pugna ſatis fudiſſet ſanguinis atrox,
Et iam diſcedens lintea Turca daret,
Quindecies centum in naui ſunt tela reperta
Bugslai, à rigidis eiaculata Getis.
De reliquis iaculis fluitantibus æquore, quot ſint
Conijectare animo cuilibet inde licet.
Protinus ambuſtam incumbunt reparare carinam,
Membraq;, ſi quæ ſunt dilacerata, ſtruunt.
Subducunt puppim uicinæ ad littora terræ,
Exponuntq; illo funera quinq; loco.
Quæ ſuper excubias peragunt incluſa ſacello,
Donec lux aderat, nocte cadente, noua.
Sole recens orto, noctisq; abigente tenebras,
Exequias ſoluunt, corpora dantq; ſolo,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Inde legunt Creten, ſolenni ubi more Polenzon
    Aggere compoſito, contumulatur humo.
Perq; dies aliquot, cunctis his rite peractis,
    Prædicta remoram ſub regione trahunt.
Dum medicas adhibere manus ad uulnera poſsint,
    Corporis & uires arte fouere graues,
Inde Rhodon abeunt, tantiſper ibiq; morantur,
    Dum ſocij incolumi mobilitate uigent.
Donec & affectæ redeunt in corpora uires,
    Vulneraq; ex omni conſenuere modo.
Omnibus hinc igitur ſaluis abeuntibus, unum
    Vulneris afflixit, detinuitq; dolor.
Nempe Valentinum Nornberch, qui ſaucius, atq;
    Vſq; adeo plagis attenuatus erat,
Vt minime tutum eſſet iter, minimeq; ſalubre
    Sæpe cruentato caſtra mouere pede.
Ergo Rhodi remanet triſtis, quod acerbius illi
    Vulnus erat: ſocijs quippe carere ſuis.
Ante tamen quàm diſcedunt, portumq; relinquunt,
    Pectora Bugslai prouida cura ſubit.
Aſſociat medicum, qui curet & applicet herbas,
    Forte recrudeſcant uulnera ſana ſemel.
Proximus ad Cypron hinc curſus detulit, inde
    Verſus Iapigium tranſtulit aura ratem.
Hic quia primus erat Solymarum in littore portus
    Anchora deijcitur puppe, ratemq; ligat.
Legatos mittunt Solymas, expoſcere pacem
    A Salentino, tunc dominante, Duce.
Et Franciſcanos ueniam exorare uidendi,
    Quæ penes hos Monachos, ſacra ſepulchra, fuit,
Nec mora Legati redeunt, pacemq; reportant,
    Haud emptam à tonſis fratribus ære leui,

D Tandem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Tandem ergo optata & ſancta potiuntur arena,
Ante tuum, quarto, Bartholomee, die.

Salue ſancta mihi per tot diſcrimina tellus
Optata, & nullo tempore uiſa prius.
Salue iterum dixit Bugslaus, & omnia circum
Fert oculos faciles, itq; reditq; frequens.
Singula rimatur loca, perluſtratq; uidendo,
Nec ſatis expleri mens generoſa poteſt.
Ipſe Sacellanus ſacram deducit in ædem,
Præcipuoſq; Duci monſtrat in æde typos.
Deinde ſalutiferi monumenta uetuſta ſepulchri
Exhibet, heu ſtratum Chriſte benigne tuum.
Oſtia quæq; ſuis reſerat diſtincta cauernis,
Oſtia quæ ſternunt ad ſacra buſta gradum.
Namq; habet acceſſus conuexa foramina terræ
Cæca, ſed accenſæ lucida ab igne facis.
Ardua damnoſæ oſtendit quoq; fulcra columnæ,
Ad quam ſaluificans flagra cruenta tulit.
Planiciemq; loci, quo Chriſtus ab arbore pendens,
Iuſſit in amplexus quemlibet ire ſuos.
Monſtrat & infamem tumulum, quo colla ligatus,
Proditor ad laqueum turpe pependit onus.
Monſtrat & auulſæ prærupta cacumina rupis,
Quando dator uitæ morte ſolutus obit.
Lympida piſcinæ colluſtrant ſtagna ſalubris,
Vnde tulit medicam ſæpius æger opem.
Iordanis inſpectant ripam, montemq; frequentant,
Plurima quo Chriſtus millia pane cibat.
Herbida Gethſemani loca perſcrutantur & horti,
Chriſte frequens precibus nobilitata tuis,

Hæc

Hæc ea planicies eſt, quam ſubiturus amaræ
Mortis, ad orandum, uulnera, Chriſtus init.
Poſtremo inuiſam ne te Bethania linquant,
Quæ Solymitana non procul urbe iaces.
Et quoq; te Bethlehm, nati incunabula Chriſti,
Hoc ſtudioſe etiam perſpaciantur iter.
Sed loca quis tenui comprenderet omnia uerſu,
Quæ peregrini oculis ſuppoſuere ſuis.
Singula luſtrando poſtq; perſpecta tenerent,
Proferretq; ſuum nox tenebroſa caput,
Nocte ferè media ſublimi ex arce Siona,
Præditus auguſto uenit honore ſenex.
Aurati hic equitis Bugslao inſignia confert,
Non procul à tumulo Chriſte ſepulte tuo.
Fallor? an & capite inflexo ſub marmore buſti,
Firmaſti pura pro pietate fidem.
Datq; poteſtatem ſimili uirtute creandi,
Quoſcunq; officijs demeruiſſe putet.
Ergo creat comites, titulumq; impartit honoris,
Qui magis in Turcas exeruere decus.

Poſt ubi Dux uigili perſpexerat omnia cura,
Quæ Solymitanis pulchra fuere plagis.
Gratifica templis centum dat mente ducatos,
Cœnobiumq; graui demeret ære Sion.
Muneribus largis oneratq; altaria templi,
Sicq; Deo grates relligioſus agit.
Diuina quod ope adiutus ſuperauerit hoſtem,
Et freta fluctiuagi turbidiora maris.
Quodq; hominum mores, multaſq; inſpexerit urbes,
Præcipue ſancti ſancta ſepulchra ſoli:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Et quia barbaries fera Baltica littora circum
Serpſit, ab iniuſtis ingenerata Scythis.
Cuncta quod is proprium bona naufraga uertit in uſũ
Finibus in cuius forte reperta forent.
Non ratione habita, repetitum an uenerit hæres,
A quo eſſent magno parta labore bona.
Nunc autem expertus caſus Dux ipſe marinos,
Et ſatis edoctus quid queat ira maris,
Cenſuit indignum ſic conuectare rapinas,
Et dominum proprijs ui remouere bonis;
Et uelle afflicto per ſe geminare dolorem,
Cui potius promptam ferre decebat opem.
Sancijt hic igitur, iuramentoq́ recepit,
Tale ſuis facinus uelle abolere locis.
Naufragijq́ minus paſſurum inuadere prædam,
Moris ut ante ſua ſub ditione fuit.
Quæ lex ex ipſis naturæ fontibus hauſta
Florida præſentem manſit ad uſq́ diem.

His actis relegunt iter, & nauale reuiſunt,
Hic ubi Iapygium puppibus apta quies.
Hinc remeant Cypron, ſuprema ubi funera paſsi
Terra Sacellani Principis oſſa tegit.
Inde Rhodon iter affectant, ubi ſuauiter omnes
Excepti, & uotis congrua cuncta cadunt.
Hicq́ Valentinus Nornberch, quem liquerat ægrum
Redditus eſt, referens integra membra, Duci.
Hinc repetunt Creten, poſt ſe Caſamq́ relinquunt,
Prætereuntq́ tuas uaſta Modona minas.
Deniq́ deueniunt Venetorum proſpere ad urbem,
Vrbe triumphales tota agitante dies.

Ciuica

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Ciuica turbã ruit, geſtitq; uiderē ſecundo
    Bugslaum, & comites, robora lecta, uiæ:
Occurrit uarium, & ſine nomine mobile uulgus,
    Et Ducis in reditum gaudia plena fouet.
Ipſe etiam egreditur uenerandus honore Senatus,
    Ducit & in pictæ regia ſtrata domus.
Mox ubi congreſsi, gratantia uerba tulerunt
    Fortiter hoſtiles quòd domuere manus.
Omnia nam Venetis rumore allata patebant,
    Qualiter in Turcas pugna peracta fuit.
Gratantur quoq; fœlices habuiſſe recurſus,
    Et porro in patriam mite precantur iter.
Inuitant aliquot ſecum reſidere diebus,
    Et pariter genio liberiore frui.

Ecce uenit procerum ſed perſonata caterua,
    Factura officium Scenice Mime tuum.
Veſtitum referunt, habitumq; per omnia eundem,
    Qui tibi Bugslao, conueniatq; tuis.
Quoſdam etiam aſsimiles Turcis, nam Turcica ueſtis
    Turcicus ac ritus condecorabat eos.
Scilicet hæc mens eſt, commiſſam effingere pugnam
    Geſtibus, ut ſolito Comicus ordo facit.
In duo diſtribuunt pugnatricem agmina ſcenam,
    Hac ſtat Bugslaus, parte ſtat hoſtis ea.
Turca lacertoſus multa ui cornua flectens
    Bugslaum contra ſpicula mille iacit.
Sic Turcam ſumptis iurares ſtare ſagittis,
    Mimus ut expreſsit geſtibus illa ſuis.
Aſt qui Bugslai proceſsit imagine, magni
    Perſonam fortis ſuſtinuitq; Ducis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Semper erat crudæ ſupremus in ordine pugnæ,
Et ſignum ſocijs omnibus inde dedit.
Incitat ignauos dictisq; inceſſit amaris,
Nec minus officium præſtat & ipſe ſuum.
Donec diſſiluit, glacies ceu futilis, enſis.
Et noua, pro gladio, corripit arma, ueru.
Hiſtrio Bugslaum ſic geſtibus exprimit ipſum,
Vt nihil à uero diſtet imago duce.
Finis ut exhibitæ Scenæ, atq; ubi plaudite dictum eſt,
Perſonam abijciunt hiſtrica turba ſuam.
Et mox purpureo ſe contemplantur amictu,
Qualem nobilium corpora ferre decet.
Vnde uidere fuit, non hos ignobile uulgus,
A quibus ante modo ſcena peracta fuit.
Sed merita à Venetis Bugslao præſtita uelle
Colligere, haud uenæ pauperis iſtud opus.
Pluribus idcirco complecti ea deſino uerbis,
Illud ad extremum ſit poſuiſſe ſatis.
Cum domus Aonidum ſchola Grypſualdenſis egeret
Lectorum iuris, cauſidiciq; chori,
Sciret & horum opera Dux poſſe carere nec aulas,
Caſtra nec inſani litigioſa fori.
Vrbe Rauennatem, Venetorum abduxit in uſum
Iuris amatorum, Gryphiacæq; ſcholæ.
Poſt ea diſceſſit, Tyberinaq; ad oſtia uertit,
Intrauitq; tuos Roma profana lares:
Hac quoq; per tempus paſſim regione moratur,
Lauticijs Papæ delicijſq; fruens.
Vtq; alios taceam quibus eſt affectus, honores,
Et modo quod magnum eſt, præcipuumq; loquar.
Bugslao attribuit gemmis inſigne galerum
Geſtamen capitis, grande decuſq; Duci.

Datq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Datq; enſem auratum, tanquam ſi parua dediſſet,
    Auratus talem nam ſibi poſcit eques.
Præterit inde tuos ſtudioſa Bononia fines,
    Exhibitiſq; ſibi gaudet ab officijs.
Rector Magnificus lateri eſt affixus euntis
    Principis, ac magni hoc muneris inſtar habet.
Ordine conſequitur ſtudijs operata iuuentus,
    Quorum aliqui in multum progrediuntur iter.
Hinc Verona tuos & docte catulle penates
    Linquit, & hac, ait, eſt Plinius urbe ſatus.
Hinc ad piſcigeri pontem diuertitur Oeni,
    Tempore quo Bacchi clamor in urbe fremit.
Hic quoniam Cæſar ſublanguida membra trahebat,
    Nec penitus ualido corpore ſanus erat.
Cæſar in aduerſum Bugslao iuſſerat ire
    Præſignes aliquot ſtirpis honore Duces.
Qui ſimul exciperent, celebri inueherentq; triumpho
    Propter honorificum, quod ſuperaſſet, iter.
Interea hoſpitij ad decorata palatia mittit
    Plurima magnorum pinguia terga boum.
Nec non uaſa aliquot generoſi plena Lyæi,
    Lanigeras & oues, ſetigeroſq; ſues.
Munera præterea chlamidem oſtro auroq; rigentem
    Auratus quod erat, ferre iubebat, eques.
Orat & ut ſecum celebrans læta orgya Bacchi
    Lætificos uultus explicuiſſe uelit.
Ante alios ipſum Bugslaum inuitat, ut haſtis
    Concurrens ſpecimen roboris exhibeat.
Cæſar enim miro ſpectandi ardebat amore,
    Tum quia grandis erat, tum quia fortis erat.
Ergo tranſierant ad opus cum Principe Poduuils,
    Illo qui famulus tempore Martis erat,

Dux

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Dux Fridericus adeſt, circoq́ʒ haſtilia defert,
Adſtant innumeri conſpiciuntq́ʒ Duces.
Protinus inuadunt haſtis certamen acutis,
Clangentem ſimul ac dat tuba rauca ſonum.
Voluitur in præceps Podeuuils, quia uiribus impar,
Obtinet & princeps uictor equeſtre decus.
Victoris capiti precium pretioſa corona
Contigit, & collo pura catena datur.
Et Cæſar quia diuitijs opibusq́ʒ potentem
Bugslaum, & nummis cenſuit eſſe grauem.
Nam ſpectata ſatis fuerat iam ſtrennua bello
Dextera, tum robur militiæq́ʒ labor.
Subſidium contra Gallos Venetosq́ʒ rebelles
Sollicitans, in opem mille petiuit equos.
Inuitans ſimul ut turmam ductaret equeſtrem,
Induperatoris præuia ſigna gerens.
Sed neq́ʒ Bugslao precibus ſubſcribere uiſum eſt
Cæſaris, has ſubito noluit eſſe ratas,
Tum neq́ʒ detrectare operam, uiresq́ʒ negare
Auxiliatrices Dux pius auſus erat.
Ergo fere ambigua ſuſpenſum mente reliquit
Cæſarem, & haud certa uoce recepit opem:
Quippe prius de re tanta qui cenſuit æquum
Concilium regni conſuluiſſe ſui.
Vt tamen Induperatori ſe rurſus amicum
Præſtet, & haud omnis muneris immemorem,
Miſſurum inſignem recipit uirtute caballum,
Contigerit patrij mox ubi rura ſoli.
Et tanta uirtute quidem, tantisq́ʒ caballum
Laudibus, ut nunquam uiderit ante parem.
Mirus equus, miris naturæ uiribus auctus
Hic fuit, & perquám Bucephalo ſimilis.

[illegible]ae tibi laudi fuit iſte minori.
  Bucephalus domino quam fuit ante ſuo.
Corpore magnus erat, ſed robore maior, ut ipſum
  Nulla fatigaret continuando uia.
Tergora diuerſum â reliquo traxere colorem
  Corpore, nam reliquo corpore giluus erat,
In dominum officioſus erat, nam poplite flexo
  Cernuus huic ultro terga premenda dedit.
Et quoties phaleras ac ornamenta gerebat,
  Terga ſuo exhibuit non niſi ſola Duci.
Aſt ornamentis demptis phalerisq́ remotis,
  Cuilibet aſcenſum præbuit acer equus.
Hinc generoſa etiam emicuit natura caballi,
  Quod ſeſe reliquis anteferebat equis.
Quodq́ loco ſtabuli ſupremo ſtare uolebat,
  Hunc ſibi præreptum noluit eſſe locum:
Nam ſi forte alij ſtabulum aſcendere ſupremum,
  Sæuijt, ac ictu depulit inde pedum.
Hunc tanta inſignem promittit laude caballum
  Se maieſtati mittere Cæſareæ.
Sic ſimul officijs & laude ornatus abunde,
  Tandem à munifico Cæſare gratus abit.
Poſt iter inſtituunt Pegneſi ad diuitis amnem,
  Succeduntq́ urbi Noridos Herciniæ.
Sed non eſt operis præſentis dicere, quam ſit
  Lætata in reditum Noricaberga Ducis.
Inde abit, & proprijs tandem Dux appulit oris,
  Stettiniq́ iterum mœnia læta ſubit.

Extremum hunc etiam concedito Muſa laborem,
  Nec fluidæ in portu ſubtrahe uela rati.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Vt Ducis in reditu quam gaudia plena Duciſſæ
Obtigerint, operam te mihi dante canam:
Principio ut patriam incolumi tetigere recurſu
Difficilem emenſi, non ſine honore, uiam.
Ipſa Duciſſa Duci procedens obuia charo
Implicat optati colla adamata uiri.
Immoriturqꝫ ipſis amplexibus, uſqꝫ adeo mens,
Læticiam ob nimiam profuga facta fuit.
Filioli manuum teſtantur gaudia plauſu,
Aſsiliunt reduci, blanda propago, patri.
Non ſic Penelope in reditum gaudebat Vliſsis,
Quamuis hic peregre bis duo luſtra fuit.
Non ſic Telemachus redeuntem excepit in ulnas,
Hic licet ardebat totus amore patrem.
Vt ducis in reditu coniunx lætata Duciſſa eſt,
Excepitqꝫ ſuum terna propago patrem.
Læticia exultant ciues, dominoqꝫ recepto
Gaudia nec uulgus diſsimulare poteſt,
Regia læticia populari conſonat aula,
Quid multis? nullus triſtis in urbe locus.
Et quod credibile eſt, illa celebratior unquam
Stettini fertur nulla fuiſſe dies.
Dux pietatis amans templis indicit honorem,
Gratifico laudes & canit ore Deo.
Fœlicem reditum quod ſit ſortitus, & intra
Impoſitus regni patria ſceptra ſui.
Pauperibusqꝫ dari nummos, atqꝫ imperat eſcas,
Illi etiam ut mentes exhilarare queant.
Hic neqꝫ me cohibere queo, quin inſuper addam,
Mens licet horreſcat præ nouitate rei,
Id quod ſub reditum Ducis accidit, atqꝫ quod ante
In ſimili caſu uix cecidiſſe putem.

Præ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Præcedente etenim (dictu mirabile) nocte,
Cum Dux Stettini tangeret urbis agros.
En inopinata ſuccumbunt morte caballi,
Quadrupedum miſeram ſentit equile luem.
Nam quicunq; prius ſani ſtabula alta premebant,
Principis in reditu putre cadauer erant.
Cuius cauſa mali neq; adhuc cuiquam obuia conſtat,
Quæ tot tam ſutbio funere ſtrauit equos.
Quæ licet ingentem peperit iactura dolorem.
His quibus aulai tradita cura fuit.
Commouit tamen inprimis equus iſte dolorem,
Qui promiſſus erat Maxmiliane tibi.
Attamen ex reditu Ducis orta eſt tanta uoluptas,
Triſticiæ nequeat multus ut eſſe locus.
Sic redit in regnum, regniq; capeſsit habenas,
Ac poſt exhauſtum pace quieſcit iter.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 217 [28,-155 4°]